



sticandi arte, nobis horridum Calvini placitum *de absolute decreto*  
(quod tamen hodie multi ex Reformatis Doctoribus rejiciunt) impudenter  
affinxit. Contemtu quidem primum hominis juvenili impetu æstuantis Sy-  
cophantias vindicare volebam; quam doctrina nostra orthodoxa solide jam  
a calumniis & næniis Sophistarum emendicatis in speciem *Responsis* Super-  
bientium & ostentantium, vindicata & confirmata sit; & homines œcono-  
miae sa'utis Christianæ imperiti & contradicendi prurigine laborantes, ple-  
rumq; intractabiles ac contumatores fieri soleant; si quis rectius vel mode-  
stus ssi ne eos informare instituat. Nosti etiam ingeniorum turbulentorum  
indolem, quod ex litigiis cum claris Viris famam querere studeant. At quum  
*Tibi Vir celeberrime*, cum Facultate tua Theologica impuras istas char-  
tas, publica censura approbare placuerit, ut hujus controversiae imperitis per-  
suaderetur, novellum Licentiatum utiq; aliquid dixisse; veritatis divinæ tu-  
endæ, & famæ nostræ a calumniis atrocibus liberandæ causa, non potui file-  
re & improbi livoris importunitatem silentio quasi approbare. Interest  
enim cordati & fidelis V. D. Ministri famæ, publicum ejusmodi calumnia-  
torem a Facultate scilicet Theologica adprobatum publice depellere; ne in-  
cauti juvenes aut alii male informati homines, tam splendida autoritate for-  
san fallantur, aut per resuscitatum Huberianismum seducantur. Qvod dum  
facere aggredior, Te *Vir maxime Reverende*, id eo præcipue compello,  
quia caput es Facultatis tuæ ac Professor excellentissimus, in cuius præcipita-  
ta censura, tuæ non potuerunt non præcipuas partes fuisse. Præsertim cum  
ante quatuor circiter annos, *Responso Tuo* super *B. Bosii libello*, requisi-  
to, hanc Controversiam primum in nostra Ecclesia excitasti eamque hacte-  
nus per varios modos Theologis veteranis alias inusitatos & indignos fove-  
re, protrahere & latius propagare per Septentrionem etiam allaborasti.  
Non tamen tecum, *Vir Celeberrime*, in hac epistola & Dissertatione apo-  
logetica de censura, licet super ejus iniqvitate prolixius justam querelam  
movere possim, concertabo; nec etiam urgebo, quod omissa principali  
questione, de quæstionibus juxta annatis tantum contentio repetita fuerit  
magis, quam mota; Sed Domini Niehenckii Tui nugas Sophisticas solum,  
& quidem sine ira & odio confutabo; ut adpareat tamen absq; illius  
injuria, hujus apologeticae epistolæ titulum a me inscribi potuisse:  
**Niehenckius Pseudoteminista Sycophantizans & coccyzans.** Et ideo etiam, quod

Eilbar-